



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum VII. Consuluisti.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

amissa. Videatur *Theol. Mor. l. c. c. s. n. 16.*

CAPITULUM VII.

Consulisti.

PARAPHRASIS.

Sepulta fuerunt in Cæmeterio quodam excommunicatorum defunctorum cadavera, quærebatur proinde ex Pontifice, utrum per hanc excommunicatorum in cæmeterio sepulturam, violatum illud fuerit, ut reconciliatione indigeret: & respondet Pontifex affirmativè, violatum scilicet illud, per talem sepulturam esse, & asperione aquæ solemniter benedictæ, reconciliandum priùs, quàm iterum fidelium corpora in eo sepeliantur.

SUMMARIUM.

1. Quid nomine Cæmeterij veniat?
2. Violatur, violatà Ecclesia, si Ecclesia contiguum sit; si vero non sit contiguum, eodem modo principaliter violatur, quo Ecclesia violatur, & sua reconciliatione indiget.
3. Per sepulturam excommunicati vitanda in cæmeterio violatur hoc.
4. Probabile est, & praxi hodierna conforme, non violari in ullo casu cæmeterium, si nec consecratum est, nec benedictum ab Episcopo.

Notandum primò. Cæmeterium illum locum dici, qui auctoritate Episcopi, si non consecratus aut benedictus sit, destinatus saltem est & deputatus, ad sepelienda in eo defunctorum fidelium cadavera: sicuti autem tale cæmeterium, si Ecclesie contiguum est, consecratur per Ecclesie consecrationem, ita etiam violatur, & execratur Ecclesia violatà, aut execratà, juxta *cap. un. in 6. hoc tit.* Vel si contiguum Ecclesie non sit, suam propriam consecrationem, benedictionem, aut Episcopalem saltem deputationem habens, execratur, aut violatur eodem modo, & in illis casibus, quibus vio-

latur, aut execratur Ecclesia; sicuti enim in illo casu censetur quid esse accessorium ad Ecclesiam contiguam principalem, & consequenter sequitur naturam principalis juxta regulam 46. in sexto. ita in hoc casu, cum Ecclesie non sit accessorium, censetur se habere ut principale, & iisdem modis violari, quibus violatur Ecclesia, uti patet etiam ex *cit. cap. un. hoc tit. in sexto, & ex cap. Ecclesiam. 27. ac 28. dist. 1. de consecr.*

Notandum secundò. Quando dicitur hinc per sepulturam excommunicati in cæmeterio, violari cæmeterium, intelligi debere hoc de sepultura excommunicati vitandi, post Concilium Constant. excommunicati scilicet publicè denuntiati, aut notorij percussoris Clerici; sicuti cum pluribus alijs bene etiam notavit Navarrus dicens, per sepulturam Hæretici nominatim non denuntiati (qualiter non denuntiati, nec vitandi sunt Hæretici nostræ Germaniæ) non violari Ecclesiam, *arg. cap. sacris 12. de sepult.*

Notandum tertio. Reconciliationem talis cæmeterij violati fieri debere, tam in hoc, quàm in alijs casibus violationis, eodem modo, quo Ecclesia notatur reconcilianda, de quo paulò post: probabile tamen etiam est, & hodierna praxis obtinet, quòd cæmeterium, si nec consecratum, nec benedictum sit, sed sola auctoritate Episcopi ad sepulturam fidelium deputatum, & determinatum, nunquam violetur, ut reconciliatione indigeat. Videatur *Theol. Mor. l. c. c. s. n. 2.*

CAPITVLVM VIII.

Cùm sicut.

PARAPHRASIS:

Intellexit Honorius III. Pontifex ex Capitulo Oradiensi, quòd Regina Hungariæ, Ecclesiam suam quidem fundaverit, & consecrari fecerit, nullam tamen ei dotem assignaverit: rescribit proinde, Ecclesiam consecrandam non fuisse, nisi de